Digitized by Google

DE PEREGRINATIONE ORATIO,

AB

ANDREA FIRLEIO BAR. DE DAMBROWICZA

Scripta & habita

In Publico Heidelbergenſis Academiæ conventu

MENSE SEXTILI

ANNO EPOCHÆ CHRISTIANÆ

M. DCIV.

HEIDELBERGAE

TYPIS VOEGELINIANIS.

SIMO STENIUS

PHILOSOPHICÆ FACULTATIS DECANUS Studioſis Opt. artium S.

IN vita Demonactis legimus, monitum fuiſſe ab eo Rhetorem quendam, qui peſſimè commentabatur, ut diligentiùs ſeſe & frequentiùs exerceret: cùmque is reſponderet, id fieri à ſe ſolo domi quotidie, tum Demonactem dixiſſe: meritò igitur ad hunc modum verba facis, qui ſtolido auditore uteris. Huic Rhetori non diſſimilis videtur is, qui apud Socratem conqueſtus de peregrinationibus, quod ſibi parũ illæ profuiſſent, hoc reſponſi accepit: optimo jure tibi hoc evenit, quia tecum peregrinabaris. Vt autem hoc tempore externarum regionum perluſtrationes valde uſitatæ, ſic cuivis intelligenti ſatis liquet, cautè illas inſtituendas eſſe, præſertim adoleſcentibus opulentioribus, ac in doctrina pietatis rectè eruditis. Notũ eſt in vicinis gẽtibus, ad quas plerunq; noſtri Germani & Poloni magno numero vel ſtudiorum cauſa, vel locorum celeberrimorũ inviſendorũ gratia proficiſci ſolent, multum frequentari & exerceri ſuperſtitionis, multum profanitatis, propter impunitatem flagitiorum, cõſpici. Ætas igitur illa improvida & flexibilis non ſine periculo apud ejuſmodi gentes verſari poteſt. Ac, niſi fallor, imprudenter agũt ii parentes, qui filios vix pueritiæ annos egreſſos, judicio nondũ confirmato, interdum etiam ſine cuſtodibus vel Præceptoribus, in Italiam vel Galliam ablegant ſine ulla ſpe aut eruditionis augendæ, aut prudentiæ comparãdæ. Neq; enim cum viris doctis vel pudore, vel metu deterriti utiliter verſari poſſunt, neq; etiam Rerump. adminiſtrationes, leges civitatũ, mores hominũ accuratè obſervare. Rectè igitur fecit Illuſtris & Generoſus Dominus Andreas Firley Baro de Dambrowicza *Polonus, qui trienniũ amplius in hac noſtra Academia præclaris & doctrinæ & religionis ſyncerioris fundamentis jactis, ut ſe & alios externas gẽtes viſuros inſtrueret, ſingulari induſtriâ & magnâ curâ collegit ea, quæ videantur peregrinationes commendare tum jucunditatis, tum utilitatis ratione, & ſimul oſtendere, quibus modis magno cum fructu eadem nobilibus & generoſis adoleſcentibus concedi poſſint & debeant. Quia autem illa omnia oratione ſatis elegante & politâ cõprehendit, illuſtre fratris germani exemplum natu majoris ſecutus, eam ipſam publicè recitare decrevit. Monemus igitur omnes Optimarũ artium Studioſos, ut cras hora nona frequentes in honorem generoſiſſimæ familiæ in Collegio Philoſophico compareant, unâ horulâ audituri ea, ad quorum conquiſitionem multis opus fuit. Conſtituerat Sereniſſ. Elector ipſe recitationi orationis intereſſe, & illuſtriſſimâ ſuâ præſentiâ Ordinis noſtri frequentiam cohoneſtare. Quia autem ordinaria, ut notum, hoc anni tempore venationes Celſ. ipſius hinc abſtraxerunt, ut clementiſſimè teſtatum relinqueret, quo benevolentiæ favore Illuſtres Firleios cõplecteretur, voluit ſuo loco adeſſe nobiliſſ. & ampliſſ. virum Hippolytum à Collibus, Electoralis Dicaſterii præſidem digniſſimum, urbisq; Præfectum vigilantiſſimum. P P. Idib. Sextil. Anno 1604.*

ILLVSTRI ET MAGNIFICO DOMINO, DN. ANDREÆ FIRLEIO: CASTELLANO RADOMIENSI, COVELLENSI, &C. CAPITANEO, DOMINO ET PARENTI SUO ÆTERNUM COLENDO,

Salutem & cultum perpetuum.

OMNIBUS & Philoſophis & Oratoribus laudata eſt φιλοτιμία, & honorũ ac gloriæ cupiditas; quæ quidẽ tam altas in generoſis pectoribus agere dicitur radices: ut vitâ, fortunis & rebus omnib. habita fuerit à multis preciosior. Hinc illa Romanæ gentis lumina, Camilli, Fabricii, Marcelli, Fabri effulsêre. Hinc graviſſimus Latiæ hiſtoriæ auctor: Iners eſt, inquit, qui non tangatur gloriæ ſtimulis: optimi mortalium altiſſima cupiunt. In horum itaque tribum quò & ego adoptarer, enitendum mihi pro virili meâ ſemper exiſtimavi; nec committendum: ut avitæ virtutis degener merito meo unquam videri poſſim. Et cùm tres ante menſes à Generoſo fratre meo Dn. Johãne ejusdem ſententiæ ac propoſiti tenace, in publico Academiæ Heidelbergenſis Brabeuterio ſpecimen quoddam editum ſit oratoriæ exercitationis, veſtigiis ejus inſiſtenti, idem & mihi ſubeundũ

omni-

omninò putavi, nec, ut ſpero, abs re faciēdum. Novi etenim, Illuſtr. Magn. Tuam poſt orthodoxæ religionis cognitionem nobis inprimis curæ eſſe velle floridiorem literaturam, hiſtoricæ & politicæ conſociatam ſcientiæ. Hæc enim facit, ut, quod ſcimus, verè ſciamus. Si enim quid ſcias, neque oratione perſpicuâ atque diſertâ explicare noris, id ipſum, quod ſcis, ſecundum Periclem, neſcire videberis. In rem autem, quod ajunt, præſentem veni, cùm de argumento diſpicerem. Nam cùm jam amplius triennium à patriis abfuerimus penatibus; diutiùsque ex voluntate Illuſt. Magn. Tuæ abfuturi ſimus: peregrinationis naturam & præſtantiam penitiùs introſpicere, aliiſque contemplandam exhibere viſum eſt. Fœtum iſtum autem meum, tanquam primitias meæ meſſis Phœbicæ, ad quem alium, quàm ad te, parentem meum meritiſſimum, mittere debui? Tuæ Illuſt. Mag. eſt, tenue hoc experimentū paternè ſuſcipere. Deus præpotens vitæ ac incolumitati tuæ plurima in dies adjiciat incrementa: nobiſque ſolidæ lætitiæ, divinæq; gratiæ ſufficiat argumenta. Heidelbergâ menſe Sextil. Anno Epochæ Chriſtianæ 1604.

Illuſt. Magn. Tuæ

Obedientiſſimus filius

Andreas Firley.

Ad Illuſtrem & Generoſum

DN. ANDREAM FIRLEIUM BAR. DE DAMBROVVICZA,

Marquardus Freherus Conſiliar. Palatin.

QVi nihil hiſtoriæ veteris, nil temporis acti
Scit, niſi viſa ſibi, non pueri inſtar habet?
Qui patrium præter limen nil vidit in orbe,
Vix pueri nomen, vix hominisq́; capit.
Diſtat enim quid equo, quid iniquæ ſortis aſello,
Qui præſepe nihil præter herile tenet?
Docta Pharos hominem ſignavit imagine cilli:
Deſidia dignam ſtultitiaq́; notam.
Non ita FIRLEIÆ *ſoboles generoſa propagis,*
JANUS *&* ANDREAS *par juvenile Virûm.*
Sarmatiam terris diverſo ſole coruſcis
Mutant, cumq́; oculis paſcere pectus amant.
Nec patriæ eloquii modò munera parta reſervant:
Pignora ſed ſtudiorum hoſpita terra videt.
Nempe peregrinas peragraſſe ſagaciter oras
Excolit ingenium, nec ſinit eſſe rudes.

Ad eundem Iullſtrem ac Generoſum Dominum, DOM. ANDREAM FIRLEIUM, &c.

Janus Gruterus, Hiſtoriarum Profeſſor.

VT inquieto limpha maris pede eſt;
Vt flamma certo ſtare negat loco;
Vt Solis, ut Lunæ, utque cæli
Perpetuò ſuus eſt rotatus:
Sic quo quis æthræ eſt junctior, ac ſuam
Aſtrato ab igni ducit originem,
Motu perenni gaudet, atque
Segnitiem fugit otioſam.
Quippe alma Virtus, almus Honos eis
Tantum obſequuntur ſtrenuitas quibus
Cordi laborque eſt: Servitutis
Sunt ſpecies Sopor atque Luxus.
Certè parentum qui pede terminos
Formidat ultrà tendere, qui putat
Si ſtagna vicini, arva ſique
Tranſierit patriæ propinqua,
Se fluctum Atlantis cernere, & extimos
Mundi ruentis tangere limites;
Ille, herclè, glebæ adſcriptus, ille
Fixa ſolo malè olente planta eſt:
Tantùmque, ritu porci, animam obtinet,
Vt pro ſale adſit, quæ vetet hiſpidas
Putére carnes, inque turpem
Cedere vermiculis cibatum.
Quantò, propages tu generoſiùs
FIRLEIORUM *vividæ fasciis*
Qui vix ſolutus membra, qui vix
Verba loqui benè doctus infans,

Matris

Matris peroſus brachiaque & ſinum,
Aulæ at paternæ delitias; iter
Per mille montes, milleque amnes
Arripis ad vada noſtra Rheni:
Non ut amictum cæli alium induas,
Ceu longipes grus Strymona transvolat
Altum quidem, ſed mox eumdem
Strymona grus eadem revortit:
Sed ne ſedendo gratior indoles
Emaſculetur; neve ſitum aureo
Aetatis inducat Vacuna,
Murciaque medicata flori.
O quàm decorum eſt viſere ſæculi
Vrbes & arces duplicis, exque eis
Haurire mores atque leges,
Tota quibus decoretur ætas!
O quanta laus eſt inſinuare ſe
Virtute verâ, principibus viris
Seu ſanguinis venâ vetuſti,
Seu ſtudiis utriusque Athenæ!
Quod ſi quis iisdem ſedulus aggreget
Vitæ perenni Gloria quos dedit:
O tunc peregrinationis
Hunc duplicis liquidò potentem!
Quod cùm ipſe præſtes, floſcule patriæ
FIRLEIE *magnæ, quid reliquum eſt, niſi*
Binas peregrinationis
Vt duplicis capias coronas?

Iſocr.

Iſocr. ad Demonic.

Μὴ κατόκνει μακρὰν ὁδὸν πορεύεσθαι πρὸς τοὺς διδάσκειν τι χρήσιμον ἐπαγγελλομένους: αἰσχρὸν γὰρ τοὺς μὲν ἐμπόρους τηλικαῦτα πελάγη διαπερᾶν, ἕνεκα τοῦ πλείω ποιῆσαι τὴν ὑπάρχουσαν οὐσίαν, τοὺς δὲ νεωτέρους μὴ δὲ τὰς κατὰ γῆν πορείας ὑπομένειν, ἐπὶ τῷ βελτίω καταστῆσαι τὴν ἑαυτῶν διάνοιαν.

Ideſt,

Non te pigeat longam viam ad eos ire, qui ſe aliquid utile docere profitentur. Turpe enim eſt, cùm mercatores rei familiaris augendæ gratia, tot ac tanta maria transeant, adoleſcentes verò excolendi ingenii cauſa detrectare ſaltem terrâ iter facere.

DE PERE-

DE PEREGRINATIONE

ORATIO.

Exord. per prolepſin.

QUanquam plerique mortalium, Auditores, unâ voce unoq; animo jucundiſſimum, utiliſſimum juxtà, & tutiſſimum judicẽt ducantque, in patriâ ſuaviſſimâ, quæ nos primùm cœli hujus haurientes ſpiritũ excepit, in parentum indulgentiſſimorum ſinu, in conſanguineorum & agnatorum ſuaviſſimo complexu, in amicorum gratiſſimo conſpectu, omne ætatis decurrere ſpatium; jucundâque rerum cariſſimarum præſentiâ frui: tamen, ſi penitiùs conſideres, altiùsque apud animũ tuum perpendas illud; quod Orator, à quo eloquentia faſtigium accepit, ex Platone ſcriptum reliquit; *Nos non nobis ſolùm natos eſſe: ſed partem noſtri ſibi vendicare parentes, partem amicos, partem Remp.* longè jucundius patriæ, parentibus, amicis, longêque utilius eſſe ſentias: neglectis omnibus hominum locorúmve delitiis, ſolum mutare, cœlum vertere, regnaque peregrina viſere.

Cic. lib. 1 offic.

Inde enim Homerus, Poëtarum Oceanus, tantis ſuum laudibus Ulyſſem commendat, quòd varios variorum hominum mores vidiſſet: urbes quasque pulcerrimas ac potentiſſimas peregrinando perluſtraſſet. Inde & Virgilius, Latinorum vatum parens, ſuum Æneam præclariſſimis ornat encomiis, iisq; veriſſimis: qui fato profugus tot maria, tot terras peragravit, tot in utrisque pericula forti pectore exantlavit: ut abſolutum & perfectiſſimũ boni Magiſtratus exemplar præbeat omnibus; qui ad clavũ ſedent Rerumpub.

Ratio ab exemplo 1. Vlyſſis.

2. Æneæ.

Et verò id rectiſſimè uterque. Peregrinatio enim pietatem alit: prudentiam excitat & adauget: fortitudinem acquirit; acquiſitam confirmat: ad mores informandos plurimùm conducit: ex immanibus ac barbaris humanos & manſuetos facit: φιλαυτίαν ac fatuum ſui amorẽ

Ratio ſecunda ab effect. peregrinat. κατὰ συναθροισμόν.

eradicat: ad labores tolerādos, pericula adeunda, & maſculo animo perferenda durat & condocefacit; peregrinatio ad ſolidam doctrinam & eruditionem viam compendiariā monſtrat: peregrinatio omnibus omnium ordinum hominibus, & inprimis illuſtri ac nobili familiâ natis, ſummê eſt neceſſaria: ita, ut ſolem è mundo tollere videantur, peregrinandi ſtudium & frequētationem è vitâ communi qui tollunt.

Concluſio proœmii cũ ἀξιώσει.

Atque hæc omnia ita ſe habere, jam jam liquidò pro ingenii mei modulo, in illuſtri & ampliſſimâ hac coronâ nō blandis verborum uſus lenociniis, aut falſis nugarum vanarum pigmentis & figmentis; ſed rei ipſius niſus ac fretus domeſticâ præſtantiâ oſtendere ac demonſtrare conabor.

Captatio benevolæ attētionis à perſona Audit. & à ſubiecto occupāte.

A vobis, Auditores, etiam atque etiam peto, ut me breviter & dilucidê in hoc veſtro conſeſſu ſpectatiſſimo atque frequentiâ hac eruditiſſimâ, de argumento tàm vulgato, quàm utili & jucundo diſſerentem, animos benevolos atq; aures attentas præbeatis: idemque mihi & beneficii & officii exhibeatis: quod tum aliis pro hoc loco in Muſarum ſacrario perorantibus, tum paucis ante ſeptimanis fratri meo ſuaviſſimo, aleam in exercitatione Rhetorica jacienti benevolê dediſtis.

3. Ab exemplo.

In id unicè ego incumbam, ne vos operæ temporisve impenſi pœniteat, & ut peregrinationem, honeſtam, jucundam, utilem ac neceſſariam, tam illis, qui privato otio fruuntur, quàm illis, qui Reipub. præſunt, rationibus firmis evincam.

Partitio trimembris.

Primùm autem mihi videtur de jucunditate peregrinationis, deinde de ejusdem magnitudine, tum demum de ratione ac modo rectè peregrinādi paucis dicendum.

Cōfirmatio & tractatio primi mēbri.

1. Ratio à jucundo.

Genus eſt enim delectationis in peregrinatione ejusmodi, quod maximè omnium animos excitare, atque ad petaſos imponendos, ocreas inducendas, res convaſandas quemlibet incitare atq; invitare debet. Nam quoniā *ſemper appetentes ſcientiæ, præter cæteras animātes, atque avidi novarum rerum homines ſumus*: quid poſſit accidere nobis gratius,

tius, quid obvenire jucundius, quàm luſtrare tot omni cultu abundantes regiones? tot regna florentiſſima? tot res omnium literarum monumentis celebratiſſimas. Etſi enim ex Coſmographorum eruditis & laborioſis commentariis deſcriptiones urbium, populorũ, locorum, hauriri poſſunt: tamen longè majorem vim, & neſcio quid genii arcani ſpirat ipſa contemplatio, & præſentia. Uſque adeò verum eſt, quod in alio argumento Satyricus ille;

1. jucunditas in terris peregrinis.

Prolepſis.

Segnius irritant animos demiſſa per aures;
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.

Horat. de arte Poët.

Ad hæc quis ita ſit bardus & tardus, qui non lepidiſſimâ & limpidiſſimâ voluptate mentem perfundat viſendis ſplẽdidiſſimis ac magnificis urbibus, urbiumque ornamentis ſingularibus, fanis ac delubris religioſiſſimis, arcibus munitiſſimis? qui non ampliſſimè triumphet, contemplans Martis Muſarumque trophæa tàm clariſſima, quàm exornatiſſima, armamentaria omni genere armorum inſtructiſſima, ſcholas & collegia ſumptibus maximis ſplendidê conſtructa? inque ipſis ſingulis ſcientiarum ac doctrinarum ſectis auditoria attributa elegantiſſima. Quem non liberaliſſimâ afficiat ſuavitate, diverſorum populorum diverſos noſſe mores & conſuetudines, ritus patrios, leges; inſtituta obſervaſſe? antiqua venerandæ vetuſtatis monumenta conſideraſſe, oculosq; in iis paviſſe. Quantam etiam adfert delectationem, quantaque & quàm mirificâ liberale ingeniũ perfundit voluptate, ædes ac manſiones Pliniorum, Tulliorum, Muſæa ac domicilia Maronum, Propertiorum, Liviorum, Monumenta laudis ac gloriæ Alexandrorum, Cæſarum, Principũ ac Imperatorum videre? perque loca illa ferre pedes, ubi Heroes fortiſſimi vixêre: ubi ex hoſtibus devictis triumphũ ſæpius egêre; ubi virtuti manubias, ſigna, trophæa ſuſpendêre. Philippus certê Hiſpaniarum Rex unà cum Reginâ cõjuge ſuâ ac proceríb. regni ſingulari cũ devotione inviſit

2. jucunditas in urbib. & urbium adjunctis.

3. jucunditas in hominib. & eorum adjunctis atque effectis.

4. in ædificiis præſtãtiũ virorum.

Illuſt exemplo 1. Seb. ſtian. Munſt. l. 2. Coſmogr.

ædiculas obſcuras, in quib. olim magnus ille Germaniæ totius φωςὴρ Eraſmus vitale lumen adſpexerat, & ſolum primũ naſcens attigerat. Atque longiſſimè retrò Alexandrum illum, verê Magnum, tantoperè inflammavit loci genius: ut cùm in Sigæo ad tumulum Achillis adſtitiſſet, voces ei haſce expreſſerit: ô fortunate adoleſcens, qui tuæ virtutis præconem Homerum nactus ſis. Tullius itidem Cicero jucunditati & gloriæ ſibi ducit non vulgari, indagati & viſi â ſe in vepribus & dumetis ſepulchri Archimedis, Geometrę acutiſſimi, deque eo facto mirificè exultat. Nimirum *attollitur & grandior fit animus adſpectu ſublimium & grandium rerũ: & cupidinem veræ virtutis & gloriæ ingenerat viſa aliena gloria & virtus.* Quis verò tam ſit humanitatis, ne dicam, pietatis omnis expers; qui non ſingulari cum devotione conſpiciat terram illam, urbem illã, & loca illa, in quibus ſalvator noſter, ipſique Apoſtoli & ipſorum ſucceſſores, dum in vivis fuerant, egerunt & ſubſtiterunt? Sed ab his ſublimioribus ut diſcedamus ad humiliora, quem non delectat fluviorum celeberrimorum, ut Rheni, ut Danubii, ut Necari, ut Iſtulę, ut cæterorum contemplatio? eorundemque fontium ac oſtiorum inſpectio? quem non ſuaviter afficiant circumjacẽtium collium, ambientium montium, ac ſylvarum amœniſſimarum ſpacia? quis non lætitiam & voluptatem percipiat iter faciens per frugiferas villicorum areas, vineta uvis refertiſſima, arboribus luxuriantes hortulos, & diverſa in iisdem ac peregrina arborum genera. Cujus animum ſummâ non permulceat jucunditate revocata & inculcata vivis indicibus bellorum memoria; quæ priſci illi populi & Galli & Germani in his ipſis locis cum Romanis fortiſſimis & tum temporis rerum dominis patrârunt. Nec illud eſt injucundum; varia ac facunda comitum colloquia audire, qui ſæpius pro vehiculo eſſe poſſunt, præſertim, ſi iter faciamus cũ viatoribus probis ac piis, nec colloquia ſint futilia, verùm hone-

2. exemplum. *Cicero pro Archiâ.* *3. exẽplũ.* *Cic. lib. 5. Tuſcul.* *Concluſio cum gnomâ.* *5. jucũdit. in locis religioſis,* *6. in fluminum contemplatu, & montium, & aliarũ rerũ.* *7. jucund. in memoria rerum geſt.* *8. in colloquiis comitum.*

honeſta & gravia: qualia ab ipſo Deo commendantur, ab omnibus bonis maximê expetuntur. Quæ quidem ſermonum conſortia non tantum tædium omne, ſive pedes, ſive eques eas, eximunt, ſed & frequenter de rebus ſeriis erudiunt, & loco præceptorum ſunt vivorum. Atque hinc nõ obſcurè apparet maxima peregrinationis utilitas: quam etiam agnovit Clemens Alexandrinus, qui ſcribere non dubitavit: *quantum cæci cedant videntibus, tantum præſtare peregrinatos iis, qui nunquam egreſſi ſunt patriâ*, nunquam pedem portâ extulerunt. Nec verò injuriâ id affirmatum. Vera enim ſapientia, & ſolida eruditio, non aliunde, quàm ex peregrinationum frequentatione proficiſcitur. Cùm enim non omnibus in terris reperiantur omnium artium ac diſciplinarum perinde periti viri: verùm, ſicut non quævis fert omnia tellus; ſed

Secundum membrum ab utili; & prob. teſtimo. ꝓprio.

1. Utilitas ſapientiæ & eruditio.

Ratio ab adjunct. illuſt. ſimili.

Hîc ſegetes, illic veniunt fælicius uvæ:
India mittit Ebur: molles ſua thura Sabæi.

Virg. 1. Georg.

ita nec omnis regio ſit ferax omnium ingeniorum: aliunde petas neceſſe eſt, quod domi tuæ non invenitur. Idem autẽ in proventu ingeniorum uſu venire, quod in frugum terráve naſcentium copiâ: nemo veſtrum eſt, qui animi pendere poſſit. Eamus paululum ad hiſtorias. Athenæ illæ, omnis eloquentiæ & doctrinarum mater, habebant olim ſuos Ariſtoteles, habebant Platones, Demoſthenes, Iſocrates. Habebat contrà diſciplinarum Mathematicarum callentiſſimos Ægyptus: habebat deniq; Palæſtina & ſancta illa Hieroſolymorum urbs veram de vero Jehova doctrinam, eratq; unica quaſi cuſtos precioſiſſimi theſauri cultûs divini, & cœleſtium literarum. Eſt itaque omninò tam neceſſariò quàm libenter peregrinandum: cùm non ſolùm ſapientiã dicendi faciendique veram, quâ in vitâ humanâ nihil præſtantius, nihil pulchrius acquirere hoc labore: ſed & ad ſinceram veri numinis notitiam, quâ beatitas homini propria & perpe-

Minor.

Probatur ꝑ exempla.

Cõplexio.

Ab exemplo. tua continetur, haurire & adipiſci queamus. Comites vobis & duces itinerũ quæritis: Eos dabo vobis illuſtriſſimos, clariſſimos, maximos. *1. Cicero.* Ciceronem noſtis, ſummum Romanæ linguæ auctorem? Is ipſe nõ domi latuit, ac in nutricum vel gerariæ brachiis obtorpuit: ſed Rhodũ excurrit, Moloni in litteris operam dedit, pervagatus propemodum totã Aſiã, ut Rhetores diſertos audiret, atq; cum magnâ ad facundiã acceſſione in patriam rediit: quam tantis ſibi beneficiis devinxit, ut & patriæ parentis, omnium bonorum civium calculo, nomen pro ſuis meritis reportarit. *2. Plato.* Platonem fando cognoviſtis? Atq; is eodem modo in Ægyptum, & ad Perſas uſque penetravit, ac Ægyptiorũ arcana perdidicit. *3. Pythagoras.* Pythagoram audiviſtis? At idem diſcendi cupiditate incenſus, ultimas etiam terras perreptavit. *4. Archimedes. 5. Ariſtophan. 6. Democrit. 7. Euclid.* Quid de Archimede, de Ariſtophane, de Democrito, de Euclide dicam? *8. Regina Sabaa.* Quid de Niculâ Ægypti atque Æthiopiæ reginâ potentiſſimâ, quæ ad Salomonem divinæ & humanæ ſapientiæ oculum itinere longiſſimo venit, ut admirabilis & verè ſingularis intelligentiæ atque acuminis ipſius particeps fieret. *Fulgoſ. lib. 8. c. 7.* *9. Eunuchus reginæ Candaces. Act. 8.* Quid de Eunucho Candaces Reginæ, qui ex ultimâ Æthiopiâ in Judæam profectus eſt, ut ex ſolenni proſelytorum & religioſorum conſuetudine, in templo Hieroſolymitano adoraret? Nec inter doctos dubium eſt: quin ex itionibus & profectionibus idem primùm fontes Iſraëlis hauſerit. *Applicatio, per diſtrib. facult.* Quicunque igitur tenentur ſtudio ſincerioris Theologiæ, quærant ſibi aliquem Gregorium, quærant Nazianzenum, quærant Auguſtinum, alioſque divinarum literarum peritiſsimos: quales certè vel hoc ipſo è loco, in quo nunc conſiſto, perſæpe dicentes audiviſtis publicis in panegyribus, atque etiamnum auditis. Qui juris civilis legumq; ſanctiſsimarum amore flagrant; quærant ſibi Papinianos, Ulpianos, Proculos, Bartholos, Baldos, alioſque juris tàm civilis, quàm canonici interpretes clariſsimos. Qui ad artis medendi

dendi ſtudia ſe conferunt: quærant ſibi Galenos, quærant Hippocrates atque alios experientiſſimos medicos. Qui ad Philoſophiæ penetralia tendunt, quærant Ariſtoteles, Platones. Qui eloquentiæ, quærant Cicerones, quærant Hortenſios, Quintilianos. Ubi autem? In ſcholis & Academiis Germaniæ, Angliæ, Galliæ, Italiæ, Poloniæ. Propter hunc enim finem à piis Imperatoribus ac magnis Principibus literarum Licea paſſim per Europam fundata, atque variis immunitatibus donata ſunt: ut in iis omnium ſcientiarum ſecreta juventuti recluderentur: rediretque inde artibus ditior, moribus cultior. *2. utilitas prudentia politica.* Nec enim ſolùm peregrinatio ingenium plurimarum artium atque optimarum cognitione replet: ſed efficit homines inſuper verê politicos, atque tales, qui & ſuo cum honore, & publicâ utilitate Rempublicam capeſſant. Ex peregrinatione enim fiũt periti variarum legum, conſuetudinum, conſtitutionum, jurium, *Ratio 1.* quæ momenti plurimum habere in vitâ humanâ qui negat, ſolem in meridie lucere negat. *2.* Vident deinde, quid in unaquaque Repub. ſalutare ſit & expediat, togæ bellique tempore. Vident, quomodo urbes muniendæ, arces excitandæ; tormenta paranda. Vident, quomodo in pace & bello cives in officio continendi, atque ad virtutem exercitiis ludicris edocendi: quomodo publica loca, ut horrea, armamentaria, propugnacula, theatra, porticus, atque alia extruenda & locanda: qualia acroamata, theamata, & ſpectacula exhibenda. Et hanc ob cauſam Romani olim ſuos liberos *Ab exēplo. 1. Roman.* ipsâ Româ, at quantâ urbe? mittebant Maſſiliam ſibi ſubjectam, ut ibi tum in literis humanioribus, tum in prudẽtiâ politicâ erudirentur, ac ad officia publica meliùs obeunda aptiores, & ab omni doctrinâ humanitatisque cultu commendatiores reverterẽtur. Petebant iidem Græciã, & Græciæ inprimis ſolem Athenas, propter ſummã doctiſſimorũ hominum auctoritatem & urbis. Ita & Ulyſſem (de quo in *2. Vlyſſis.*

procœmio mentio facta) cõſtat, ex hiſtoriis prudentiſſimum fuiſſe: atque in prudentiâ iſtiusmodi conſequendâ ei maxime profuiſſe: quòd

Horat. in arte. *Multorum mores hominum vidiſſet & urbes.*

dum per decennium integrum tot maria, tot periculoſiſſimas Syrtes, tot infeſtiſſimas inſulas pervolitavit: totidemq; annos in Trojanâ obſidione cõſumpſit. Et Mithridates Rex Ponti, linguarum vigintiduũ ſcientiſſimus, qui primus Scythas, gentem ad id tempus invictam devicit, & populo Romano bellum funeſtiſſimum movit, Pontum omnem, mox Cappadociam, omnemq; Aſiam peragravit, & ignoto quidem habitu peragravit: urbiumque ſitum & ſtatum diligẽti curâ indagavit.

3. Mithridatis. Sab. lib. 2. En. 6.

4. Traiani Cuſpinia. Sicquoque Trajanus Oceani naturam inveſtigare ſtudebat, quòd res Indicas non obſcurè præ ſe ferret, ut cùm quoſdam in Indiam ſolventes videret, exclamàrit, Utinam verò mihi & ocium, & vita, & ætas ſuppeteret.

5. Germanici Cæſa. Tacit. 2. Annal. Germanicum Cæſarem incredibili flagraſſe cupiditate, veteres locos & fama celebres inſpiciendi auctor eſt Tacitus, & Græciam, & Thraciam, oram Aſię, & ipſas deinde Armenias inviſiſſe.

Epilogus cum apoſtrophe e- pœnetica. Meritò igitur laudandi ſunt Generoſi & nobiliſſimi Adoleſcentes, qui patriis ſedibus relictis, omnibusq; moleſtiis ac periculis ſpretis in hoc clariſſimum liberalium diſciplinarum ac virtutum laudatiſſimarum Emporium ſe contulerũt, ut ſibi veram prudentiam compararent, ac patriæ olim utiliter præeſſent, ab eaq; omnia pericula tàm armis quàm conſiliis depellerent.

Ratio ab exemplo. Sic Thales ille Mileſius, ſic Solon & Lycurgus: ut legum ſanctionumque, quas tulêre, cauſas rationesque curioſiùs penſitarent, partim Ægyptios & Æthiopes, partim Syros, Arabes, Perſas, Parthos, Hyrcanos & Indos, omnes denique terrarum fibras, ac diverſi orbis ultimas oras rimando, nihil inexpertum reliquêre.

A diſſentan. Nec enim feliciter Reipub. præeſſe, atque ad ejus gubernacula aſpirare poteſt: qui domi deſidens, Dialecticas tantùm ſpinas,

nas, pontem aſinorum, cribrum Platonis inaudiverit; aut pulicum greſſus dimenſus, aut in dolio Diogenis vitam totã peregerit: ſed is potius, qui diverſos hominũ mores viderit, multa experiundo cognoverit: qui de rebus magni momẽti judicium formârit. Sunt igitur perluſtrãdæ terræ, ſunt accedendæ peregrinæ ſcholæ; cùm Bellerophontes eſſe non poſſimus, nec ars alas habeat aut pedes: quibus ipſa nos conſequatur. Accedit, quòd ex peregrinatione etiam reddimur frugaliores & temperantiores, & ita virtutum duarum eximiarum compotes ſimus. Nam his muniti obviam ire poſſumus quarumcunque tandem voluptatum illecebris, & tuti ſumus ab omni infamia ac dedecore. Si enim quondam templum Dianæ Epheſinæ aſylum præbuit obæratis, eosque tutos præſtitit: multò magis frugalitas & temperantia nos in tutum virtutis receptum locat, & ne quâ laboremus difficultate, nobis cavet. Quâ autem ratione hæ virtutes quaſi uſucapi peregrinatione poſſunt? hac AUDITORES, dum ii, qui cœlum mutant, non poſſunt non parcê ac minimê ſumptuoſê vivere, & quæcunque ab hoſpitibus ſibi ſiti fameque fatiſcentibus apponuntur, boni conſulere, atrum panem ex heſterno iure vorare: non raró etiam impranſi incœnatique cubitum ire: aut ſi quid eſculentorum apud imperitos caupones reperias, tute tibi urgente fame pares neceſſum erit, niſi vẽtriculi ingluviem morbi labe expiare velis. Homerus certè Achillem in caſtris coquinariã exercentẽ introducere non eſt veritus. Et Antagoras Rhodius, qui Thebaida ſcripſit, in caſtris congrum coquebat. Suaſerim idcircò omnibus Sardanapalis, Elpenoribus, & Philoxenis, qui nil niſi Perſarum delicias, nil niſi Sybaritarũ lautitias quærunt, & menſuras ſine menſurâ amyſtide evacuant: ſuaſerim, inquam, illis, ne procul abeant à patriâ, cæteroquin opinione citiùs domum reverſuri. *Integrum animũ & vitiorum domitorum peregrinatio deſiderat.* Hujus autem egregiæ

III. Vtilitas.

Frugalitas, & tẽperantia: quæ declaratur effectu & cõpar.

Th. Zuuig. li. 2. Meth. Apod.

IV. Vtilitas. gregiæ virtutis quaſi filia eſt Oeconomiæ procurandæ notitia: quam itidē vix alibi feliciùs, quàm in peregrinationib. *Prudentia œconomica.* addiſcas. Docebunt enim te agri agriculturam; docebunt vineæ vitium ſerendarum rationem; docebunt pecudes rei pecuariæ faciendę artem. Diſces ibidem, quomodo ſint inveniendа metalla, ac è terra eruenda, eruta & inventa purganda, purgata ad uſum privatum & publicum convertenda. *V. Auctoritas.* Eſt & illud non poſtremum emolumentum, quod ex peregrinatione ad cordatos viros redundat: quoque Reſpub. carere neutiquam poteſt: auctoritatem me innuere intelligitis; & in animis hominum virtutis opinionem. Citiùs enim ad dignitates & honores publicos admittitur: qui rerū uſu experientiâque pollet, quàm alius, qui cochleæ inſtar *VI. Amicitia.* domi totam per ætatem delituit. Quid? quod in exterarum regionum ac urbium perluſtrationibus, haud raró firmiſſima jaciuntur fundamenta amicitiarum & arctiſſimarū conjunctionum, quæ quantum valeant, tùm in privatâ, tùm in publicâ vitâ, palam eſt & notum omnibus. *Sebaſtian. Munſt. l. 3. Coſmogr.* Johannes Princeps Megalopurgenſis per viginti annos Lutetiæ literis operam dedit, commilitones habuit duos, filium Regis Cypri & principem Maſſiliæ, cum quibus ita verſatus fuit, ut eis ſorores ſuas deſponderit, ipſeq; Comitis Hennebergenſis condiſcipuli ſui ſororem duxerit. Ita nimirum conſtringit arcto vinculo ingenuos animos rectè ſuſcepta peregri- *VII. Circumſpectio.* natio. Verùm ad inſtitutum ut redeamus: Experimini ipſi Auditores, eos, ſi non ſemper, ſaltem plerunque plus habere ſalis, & adhibere cōſuêtæ cautionis; qui, ut dicitur, multum enavigarunt aquæ, multarumq; rerum experientiam tenent. Tanta enim periculorum moles circumvallat peregrinantes; ut niſi Neſtoreâ prudentiâ ſibi caveant, ex naſſis omnibus vix elabi poſſint, animosq́ue ſub vulpe latentes effugere. Quot enim per Deum, quot illis inſidię cavendæ ſunt? jam à graſſatoribus, ſi per ſylvas & vias publicas feran-

ferantur: jã à furibus ac prędonibus, ſi (quod nõ infrequens eſt in peregrinationibus) ſub dio noctes exigere cogantur: jam ab ipſis cauponibus, ſi in urbes aut pagum appellant. Sæpe enim & hi alterâ manu porrigunt lapidem, alterâ panem oſtentant. Quare *vigilãdum eſt ſemper: multæ inſidiæ ſunt peregrinatoribus?* Nec tamen propterea, vel telam abrumpũt ſui laboris, vel animum muliercularum inſtar deſpondent: ſed contrà audentiores eunt, & omnem fortunam ferendo ſuperant: quod profectò fortitudinis eſt exercitamentum nobiliſſimum. Quis enim fortis eſt cenſendus? qui omnis generis injurias perfert? perferunt peregrinatores: qui omnes cœli mariſque minas vincit? vincunt peregrinatores: qui vitæ diſcrimina intrepidè adit? adeunt peregrinatores. Atq; hæc cũcta ſingula ſunt quaſi progymnaſmata polemica. Tales namque ad bellum ſunt magis accommodati: & citiùs moleſtias illas bellicas ſuperare poſſunt, quàm ii, qui domi delicatè vixerunt, aut in caveis latitarunt quaſi luſciniæ, nec ullis ullius fortunę unquam telis impetiti ſunt. Denique quod maximum eſt, ipſa pietas cæterarum virtutum omnium regina, ex peregrinatione plurimum ſumit incrementi. Proverbio jactatur jam olim: *qui neſcit orare, debet navigare:* quo ſignificatur, precum matrem eſſe periculorum præſentiam, ad preces enim & quotidiana ſuſpiria admonentur, qui in ignotis, in periculoſis locis inter homines ſæpe nefarios verſantur. Deinde illi ipſi admonentur etiam mundanæ peregrinationis, quærendæque patriæ cœleſtis. *Vita* etenim *noſtra tota, in hoc mundo quid aliud eſt, quàm peregrinatio?* Opera præterea Dei præpotentis mirabilia non poſſunt non ad devotionem & divinas laudes animos Chriſtianos incitare. Qualia pietatis incitamenta inter peregrinandum plurima occurrunt: ſicut eleganter poëta quidam neotericus canit:

VIII. Fortitudo.

IX. Pietas.

Præſentem monſtrat qualibet herba Deum.

Seb. Munſter. lib. 3. Coſmogr. Si enim in HELVETIAM devenias, videbíſne ibi ſine admiratione, ſine divinæ potentiæ celebratione, amœniſſimi fluminis Rheni cataractas? Si in HYBERNIAM, nonne obſtupeſces ad lacum illũ, in quo ſi lignum injectum ſit, illicò in ferrum mutatur: aut ad fontem prope *Haſleam*, qui eundem ortus ſui terminum ſervat annuum, ſed hoc uno mirabilior, quòd non qualibet diei noctísve horâ, ſed manè tantum, meridie & veſperi fluit, quo tempore armenta adaquantur. Inde ſuo veluti functus munere venas claudit: ſi quid immundi vel temerè, vel malignè injiciatur, indignabundus aliquot diebus aquas negat. Si in POLONIAM, contemplaberisne ſine divinitatis ſenſu ollas illas, amphoras, cacabos & aliarum figurarum vaſa fictilia prope Sremum in majori Poloniâ oppidum ſponte ſuâ enata, & è terra effoſſa. Si in deſerta PODOLIÆ, & Boryſtheni vicina loca, nonne in ſtuporem te dabit aqua lacus cujusdam, qui ſereno & ardente ſole in ſolidum ſalem concreſcit; ita, ut in eo homines cum jumentis & curribus, quaſi in glacie vehantur, ſectumque in fruſta ad uſum domeſticum aſportetur: quamprimùm autem pluvia decidat, tùm ſolvitur non ſine periculo, ſi fortè aliqui ei inſiſtant. Si in *Pruſſiam*, quantam tibi admirationem & devotionem adferet ſuccinum, quod in maris Balthici littus fluctibus appulſum homines nudi obviam euntes excipiunt. primùm quidem molle, ſed poſthac ab aëre induratum. Jam ſi audiveris aviculas in ſylvarũ umbraculis, & montium convallibus aërem ſuaviter mulcentes, tibique ad laudes Dei decantandas præeuntes, num poteris vocem continere? præſertim cùm ſcias, te à Deo optimo maximo ad id potiſſimùm creatum, ut ipſum laudes & celebres. Sed nimis multa de re laudatiſſimâ: Vos, non dubito, Juvenes nobiliſſimi & lectiſſimi, quin toti ardeatis peregrinandi ſtudio, & pedes jam vobis tantùm non pruriant. Agite igitur, talaria induite, equos conſcendite, & in varias

Idem 2. lib.

Th. Zuuig. li. 2. Meth. Apod.

Cromer. li. 1. ſuæ Poloniæ.

Concluſio cum præciſione.

Parœneſis.

varias regiones atque inſulas curſum dirigite. Circumferte oculorum aciem hâc illâc, videtisne; ut nos ad peregrinandum ipſius mundi ſyſtema invitet ac inſtiget: ut ipſa bruta, ut ipſa flumina alliciant. Omnia enim, quæ in mundo ſunt, peregrinantur. Videmus enim, aves non ſemper in iisdem regionibus hærere. Videmus, feras nõ ſemper in iisdem ſilvis latitare. Videmus, piſces non ſemper in iisdem fluminibus natare aut permanere, ſed ulteriùs progredi. Orbes prę terea cœleſtes non quieſçere perhibentur, ſed curſu perpetuo circumgyrari. Et jam ſatis equidem multa feciſſe verba videor, quàm neceſſaria nobis Reiquepubl. peregrinatio ſit, quantarumque utilitatum feraciſſima. Nunc tribus verbis indicare etiam conabor modum ac rationem rectè & cũ fructu peregrinandi. Permulti namque ex peregrinatione nihil ejusmodi, quòd jam commemoratum eſt, ſentiunt vel jucunditatis vel utilitatis: qui domo egreſſi rudes, rudiores remeant, ita ut haud immeritò dictum ſit:

Ab exẽplo univerſi ipſius.

III. Membrũ, quomodo peregrinandũ.

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.

Horat. epiſt. 11.

De Friderico Ciliæ Comite luxus & luxuriæ mancipio ſcribit Æneas Sylvius, religionis causâ ad Apoſtolorum limina profectum, nihilo meliorem reverſum, à ſuis idcirco reprehenſum reſpõdiſſe: Etiam ſutor meus Româ rediens ad ſutrinam rediit. Rectè igitur peregrinabitur is: qui prudentiæ oculum comitem ſibi adjunxerit, finemq; ſibi certum præfixerit. *Perperam* enim, *omne fit, quod non ordinatè fit.* Verus peregrinator regionem ingreſſus, primùm aëris temperiem cognoſcet: ſitum perſpiciet: alia obſervatu digna annotabit: mores populorum, leges, ritus, explorabit. Montes, valles, planicies, flumina, fodinas metallicas, ſylvas, civitates ac arces munitas, non ut canis Nilum, tranſibit: ſed in ſingulis, quid excellens, ſingulare & nobile ſit, inveſtigabit, & ubi prodeſſe id poſſit, conſiderabit. Quod verê caput peregrinationis eſt, non tàm corporis, quàm animi voluptates captabit.

I. regula.

II. regula.

ptabit. Quod ſi ipſe per ſe id pręſtare nequeat: adjunget ſibi aliquem Achatem, qui ipſum admoneat, qui ducat, inſtruat, flectat, reflectat. Sic enim & Achilli additus fuit Phœnix, ut eſſet μύθων ῥητῆρ, καὶ ἔργων πρηκτῆρ. Qui hoc neglexerit, ei ſatius fuerit, quidvis potiùs, quàm peregrinationem ſuſcipere. Legimus Rodolphum Camerinorum principem, cùm ab adoleſcente quopiam aulico identidem oraretur, faceret aliquando ſibi poteſtatem in exoticas diſcedendi regiones, & loca incognita viſendi, juſſiſſe principem Maceratam vicinum oppidũ exſpatiari; & reverſo dixiſſe: Univerſum jam terrarum orbem conſpexiſti, & vel ad Gangen profectus, nihil aliud præter montes, valles, campos, ſylvas, flumina, urbes, conſpicies. Errare is, nõ peregrinari nôrat. Verùm nondum emerſi ex vadis, AUDITORES, nec portum proſpicit oratio mea: perdifficilis & periculoſus curſus oſtenditur, dum ſaxa & vada prætervehar, ſcopulosque aſperrimos evitem; quos adverſarii peregrinationibus & peregrinantibus objiciunt. Atque eò magis timeo ac periclitor, cùm me non lateat, plurimos eſſe, & quidem non ineptos, aut Midæ nepotes, ſed prudentes, & homines minimê malos, qui acerrimè negent eſſe peregrinandum. Prætendunt enim, in Rep. peſtilentiſſima inde oriri mala, ejusdemque poſtmodum everſionem conſequi: introduci peregrinos mores, veſtitus, conſilia, aliaque permulta Reipub. maximè noxia. Hoc animadvertiſſe clariſſimam Græciæ urbem Athenas, in quã nemo peregrinorum adſcribebatur numero civiũ, niſi ſex millia ſuffragiorum, quod perrarò fieri potuit, habuiſſet. Hoc & Lacedæmonios, qui nec ipſi peregrinati ſint, nec peregrinos ullos in urbe tulerint. Perſpexiſſe enim illos prudentiſſimos, commerciis exterorum civitates, quamvis benè conſtitutas corrumpi. Sic influxu Græcorum effœminatam eſſe Romam: ſic barbarorum commercio & Spartanam urbem ex ſanctiſſimâ factam eſſe corruptiſſimam. Vera qui-

Homer. Iliad. 9.

Poggius in facetiis.

Cõfutatio.

1. Objectio.

Ab exẽplo Athenarũ.

2. Lacedæmoniorũ.

3. Romanorum.

4. Spartanorum.

ra quidem hæc, AUDITORES, in ſpeciem videntur, ve- *Reſponſio.* rùm, ſi ea ad veritatis ſtateram & æquilibrium exactiùs examinaveris, multò majora commoda ex peregrinatione ad Rempublicam redundare deprehendes, quàm illa, ſi tamen ulla ſint, incommoda. Mores enim peregrinos, conſilia peregrina noſſe, inſtituta, ritúsve exploraſſe: quantum Politiæ & ſaluti communi expediat, longè eſt notius, quàm ut prolixiùs demonſtrare hîc coner. Hac enim ratione hoſtium conatus eliduntur: conſilia in ipſorum capita & perniciem convertuntur: & pericula publica avertuntur. Quod ad mores attinet, ſi boni ſunt, meritò laudandi & acceptandi: ſin mali, vitandi atque rejiciendi. At, inquiunt *II. Objectio.* adverſarii, in peregrinationibus contrahuntur morbi graviſſimi, tùm animi, tùm corporis: cùm ex Italiâ redeunt libidinoſi, ex Galliâ fœdifragi ac leves, ex Turciâ truces & immanes: cùm propinantur adoleſcentibus philtra, & pocula Circes, quod multorum exemplis confirmatur. Probat *T. Zuuing. lib. 1. Met. Apod.* hoc innumera morborum colluvies in his Europæis regionibus inauditorum. Hiſpani enim, qui cum Chriſtophoro Columbo Peruviam primi intrarunt, horrendi morbi contagium, morbum Gallicum videlicet, affricuerunt Indi, & cõtrà Indis variolarum morbum Hiſpani lege quadam Talionis communicaverunt. Et Hadrianus Imperator, cùm *Ibidem.* provincias omnes adiiſſet, morbũ ex diuturno labore contraxit, quo & tandem extinctus eſt. Laudãdus igitur eſt So- *A contrar. exemplis.* crates, qui nunquam Athenis: Pomponius Lætus, qui nunquam Româ: Ælianus Præneſtinus, qui nũquam extra I- *Ibidẽ apud Zuuing.* taliam pedem movit, mare ne norat quidem: laudandus & ille ruſticus, quem Claudianus prædicat,

Fœlix qui propriis ævum tranſegit in arvis:
Ipſa domus puerum quem videt, ipſa ſenem.
Indocilis rerum, vicinæ neſcius urbis,
Adſpectu fruitur liberiore poli.

Frugi-

Frugibus alternis, non conſule, computat annum
Autumnum pomis, ver ſibi flore notat.

Reſponſio. Gravia quidem hæc, magnique momenti ſunt, quæ dicuntur, verùm omnia ex falſis principiis enata. *Bonus* namque *vir etiam inter conſceleratiſſimos, manet bonus.* Nec is eſt temperans, qui inter temperantes caſtê integrèq; vixit; ſed tùm eam laudem merebitur, virtusque ipſa illuſtrior elucebit, ſi inter aſotos, inter Lapithas, Cyclopas, Circes, atque talia monſtra temperans exſtiterit. Nam & Orator prudentiſſimus Cicero prudentiſſimè ita reſpondet L. Murenæ obtrectatoribus: qui Aſiam ei objectaverânt, luxuriæ & voluptatum nutriculam: *Non* (inquit) *Aſiam nunquam vidiſſe, ſed in Aſiâ continenter vixiſſe laudandum eſt.* Ita non vitio vertendũ, Italiam, Galliam, Angliam, Thraciam, aliasque regiones vidiſſe, ſed in iis omnibus illibatam cuſtodiiſſe virtutem, & flagitium aut dedecus ſuſcepiſſe nullum. Ad hæc reperiuntur etiam domi Thaides, Medeæ, Gnathones, qui perinde vel etiam tetriùs juventutem corrumpunt, quàm in exteris regionibus. Verè enim ille:

Cicer. pro Murenâ.

Juvenal. lib. 5.

Velociùs & citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica.

Quod ſi quid inter peregrinandum humanitus alicui acciderit, aut præter ſpem parentum in liberorum peregrinatione evenerit: id æquo animo ferendum, & in Dei voluntate, à quâ ſive bona, ſive mala proficiſcuntur, acquieſcẽdum. *Homulus ex argillâ & luto fictus, morbis, inſidiis, ipſique adeò morti domi in patriâ & apud ſuos perinde obnoxius eſt, atque dum ab illis abeſt. Vbicunque tandem aliquis animam exhalarit, tantundem ad cœlum viæ reſtat, nec refert ubi, ſed quàm benè depoſitum ſuum Iehovæ reddamus.* Occurritur autem nobis rurſus ab antagoniſtis, clamitantibus, in peregrinatione præter alia plurima incommoda exhauriri loculos, optimam vitæ partem conſumi, rem familiarem atteri & negligi. Anaxagoram Clazomenium

III. Objectio.

menium Philoſophum memoriæ proditum eſt, domum è longinquâ reverſum peregrinatione, agros incultos ſqualidosque inveniſſe. Quorſum igitur refert, tàm longè lateq; vagari, & ultra extremos Garamantas & Indos excurrere? *Val. Max. lib.8.c.7.*

O ridicula capita! O plumbeos mirmillones! plus facitis pecuniam, quàm prudentiam: plus bona corporis, quàm animi? Longè aliter Comicus ille ſenſit, qui *pecuniam in loco negligere, maximum interdum eſſe lucrum* ſtatuit. Vita autem conſumitur aliis impendenda? Minimè verò, nec enim id volumus, ut totum vitæ curriculum in viâ cõſumas, verùm tantum aliquid temporis, præſertim in floridâ ætate, quò paratior ad Reipub. gubernationem, quò tuis adjumento in periculis, ſolatio in laboribus, gratulationi in proſperis eſſe poſſis. *Reſponſio. Terent. in Adelph.*

At eſt periculoſa & operoſa peregrinatio, nam itinera terreſtria ſunt intuta & infeſta, montes ſcatent latronibus, ſylvæ feris & graſſatoribus, hoſpitia inſidiatoribus: ſin naviges: fueris *IV. Objectio.*

——digitis à morte remotus
Quatuor, aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda. *Juven.l.4.*

Hoc enim & olim pluribus eveniſſe, & etiam hodie evenire graviſſimi authores confirmant, multique ſuo experiuntur malo. Teſtantur enim illi duo Arcades, quorum alter in tabernâ meritoriâ à caupone inſidiis circumventus, & concubiâ nocte interemptus eſt. *Cic. lib.5. Tuſcul. & Val. Max. lib.1.c.7.*

O marcida ocii mancipia, & verè muliercularum querimonias. Nec enim virorum talia ſunt, nec à viris audiri debent, ad labores & tyrocinia virtutis natorum: ſed mollium fœmellarum inſtar Cicadę meridianæ domi latitantium. Animoſior his ipſa fuit mulier illa, quæ dixit: *Reſponſio.*

——Degeneres animos timor arguit. *Virgil.4. Æneid.*

Quot reperiuntur in annalibus veteribus Romanis, Græcisque, qui cupiditate gloriæ adducti in periculum ſummũ

Caſ. l. 7. de Bell. Gall. ſunt deducti? *Nihil adeò arduum, quod nō virtute ſuperari poſſit.* Sed ne hîc quidem ceſſant, objiciunt enim, nil niſi ſummas

V. Object. moleſtias adferre peregrinationes, jā enim ſi rhedâ vehantur, huc illuc jactari, & lumbos illorum in ſaxoſis & petroſis penè infringi, jam in luto, jam in faucibus aëriorum montium hærere; jam ſole uſtulari, jam per tenebroſas ſylvas, per lutulentos vicos, per anfractûs locorum lubricos incedendum. Et hæc ſcilicet ſit jucunditas? hæc appetitum circumcurſandi excitent? Hîc rurſus tragœdias excitant ſemi-

Reſponſio. viri Phryges, & homines, quibus ſemper culcitra ſupponēda, digni, qui cum Paride ſemper ſuis aſſideant Helenis, & quibus illud paululum immutatum occinatur:

Fortis eat peregrè: tu Pari ſemper ama.

Voluptas ſiquidem vera & ſolida eſt illa, quæ ex duriſſimis virtutum exercitationibus, & honeſtis actionibus percipitur. Urgent adhuc & inſtant, Ecquid opus longo circuitu,

VI. Objectio. & temporis impendio, alio ſub ſole jacētes petere regiones? cùm anima ſedendo & quieſcendo (teſte Philoſopho) evadat ſapientior, cùm domi linguas diſcere ex libris, cùm aliarum nationum inſtituta, leges, conſuetudines ex literarum monumentis cognoſcere poſſimus? Quid igitur opus eſt tot moleſtias devorare, tantasq; pecunias effundere? Num Socrates peregrinabatur? cujus tamen ſapientia & doctrina totum pervagata eſt orbem; num idem plurimorum Principum ac Regum exempla non comprobant, qui ex literis prudentiam Politicam, non ex peregrinatione acquiſiverunt, atq; in maximâ autoritate tàm apud ſuos; quàm apud exteros floruerunt. Non, negatur prorſus ἀξίωμα illud Phi-

Reſponſio. loſophicum: Eſt enim omninò aliquando quieſcendum, & nos peregrinatores, nō circumcelliones vel agyrtas formamus ac prædicamus. Hoc verò minimè cōcedimus, linguas perinde dextrè ex libris addiſci, atque in ipsâ regione, ubi

vigct.

viget. Patet hoc vel in unicâ Gallicâ linguâ, cujus notitiam longè difficiliùs & imperfectiùs hîc in Germaniâ, quàm in ipſo Galliæ ſolo haurimus. Ceſſent igitur obgarrire nobis jam, & valeant, quicunque peregrinandi ſtudium tàm utiliſſimum, quàm præſtantiſſimum elevare, prægravare, & evertere conantur; idque jam laborum piſtrinum, jam pecuniarum Harpyjam, jam periculorum labyrinthum dictitãt, & neſcio, quæ non ipſi crimina injuſtiſſimè affingunt. Nam ea ad unum omnia vel vana, vel ſurreptitia eſſe vobis, AUDITORES, & palàm luce meridiana clarius probavimus, atq; ut ſperamus, approbavimus. Quin vos rectiùs ducitis, AUDITORES, peregrinationem lucem eſſe vitæ, vitiorũ expultricem, morum magiſtram, virtutum præſtantiſſimarum conciliatricem, & vix ullum inquam virum ſolidè eruditũ, firmâ auctoritate munitum, bellicâ privatâve fortitudine præditum, ſine peregrinatione & rerum periclitatione extitiſſe: & quâ ſublatâ, illa inter ipſos homines cõmunio tollatur. Et cùm ſemper graves ac ſapientes non tantùm judices in rebus judicandis, ſed etiam juvenes & politici in actionibus ſuſcipiendis, quid utilitas civitatis, quid communis ſalus, quid Reipub. tempora poſcerent, cogitarint: vos florẽtiſſimi juvenes, omiſſis domeſticis voluptatibus, neglectis infortuniis, poſthabitis pecuniis, remotis omnibus obſtaculis, de peregrinandi labore honeſtè & præclarè judicabitis, eumq; indefeſſi impigrique ſubibitis. Patent ecce portę, monet rerum iſthæc univerſitas, vernans ætas inſtigat, invitat florida virtus, cogit pietas debita Deo, patriæ, parẽtibus. Omnium enim moleſtiarũ, laborum, periculorum, ſtudiorumque veſtrorum, vos potiſſimùm juvenes fructus uberrimos ac honeſtiſſimos percipietis: Veram vobis ſapientiam, germanam fortitudinem, jucundam modeſtiam, fructuo-

Peroratio cum ἀνακεφαλαιώσει.

ſiſſimam frugalitatem comparabitis, pietatem devotam excitabitis, ad exiſtimationem hominum ſempiternam promanabitis, Deoq́ue ac Reipub. commoda, quæ â vobis expectantur, maxima afferetis.

Dixi.

AdNo-

Ad Nobilem & Clariſſ. Virum

Dn. Salomonem Neugebauerum à cadano Boruſſum, de Oratione à Generoſiſſimo Domino Andrea Firleio ſolenniter recitatâ.

Epigramma Gratulatorium Henrici Walteri Sil. Poetæ Coronati.

Dulce Salomonis quoniam tibi nomen in omen
Cedit, & ingenium pacis honore beat;
Nec minus ad pacem ſpectat cognomen amicam,
Tecta novæ ſtimulans ædificare domus:
Hoc, Germana notans primordia; at illud, Hebræa
(Si ſpectes etymon) vim rationis habens.
Pacis honor non eſt minimus, quòd publica blandæ
Pulpita non renuunt nobile pacis opus,
Solennes inter pompas, ſublimior adſtans,
Baro quod illuſtri protulit ore tuus,
Quem Prytanæa cohors, quem Cynthius ipſe loquentem
Dignatus Lauru pulcricomante fuit,
Quem turba Aoniûm læto veneranda Sororum
Plauſibus exceptum, carmine proſequitur?
Quem ſtupet in viridi ſectans Helicone Camænas,
Pieriæ cœtus laudis amore calens.
Macte animis Heros patriis, & munere Divûm,
Sic ſic magnanimis itur ad aſtra viris?
Hæc ſunt fundamenta novæ firmiſsima, fato
Quæ tibi ſeſe offert ædificanda domus,
In qua Pimpleidum ſeſe decus efferet olim,
Conçilians mediâ concavitate choros,

Mecœnas, generis ſpes non poſtrema, paterna
Vnde ſuum virtus quóque reflectit opus.
Hoc tibi de tanto cum Muſis grator honore,
Et precor ut votis convenienter eant
Cœpta tuis, quæ formandis illuſtribus optant
Illuſtres Gnatis gnaviter ire Patres.

Aliud ejusdem ad eundem.

Lingua Poſſidonio
Ceu Tulliana ſufficit Magiſtro,
Ad decus, quod æmulâ
Sibi inſtitutione comparavit:
Sic, Amice, te quoque
Fructus laborum haud pœnitendus ornat;
Quem parit reciproci
Amoris ardor, in caput reſultans:
Dum, favente Numine,
Baronibus DAMBROVICIS, *& arte &*
Marte pullulantibus,
Re conſulis, ſpe proſpicis, domumque
Non parum beas, tuis
Intenta quæ ſe ſublevat Camœnis;
Quamq; nactus es magis
Magisque Spartam haud impotenter ornas.
Teſtibus nec indiget
Conſeſſui res publico, ac ovantum ap-
plauſibus graviſſimis
Collegii totius approbata,
Differentibus tuis
Baronibus quod aure favit æquâ.
Verba, resque, geſtibus
Accommodata, nemo non probavit,

Nemo

Nemo non ad impetus
Aetate majores ſtupet, nec eſt, qui
Non ad aſtra tendere
Advertat indolis piæ vigorem.
Cernis ecce, quàm tuis
Subſellia ipſa accommodata votis,
Et cathedra nutibus
Io benignis approbet, quod aula
Geſtiens Apollinis
Ad aſtra jactat verticis coruſci.
Inde gratularier
Amice perpetûm tibi colende,
Muſa noſtra talibus
Conata, grata pro tuo favore,
Auſaque inter æmulos
Gingrire vates, Anſer ut canoris
Obſtrepens oloribus;
Modeſtiâ veniam rogat decenti,
Vt bonique conſulas
Orat profecta corde vota amico

F I N I S.

BREVIS ORATIO.

DE PHILOSOPHIÆ LAVDIBVS,

A

M. ÆMILIO PORTO FRANCISCI P. C. F. IN ANTIquiſſima, & celeberrima HEIDELBERGENSI Academia ordinario Linguæ Græcæ Profeſſore, habita die Iouis, 19. Martij, anno clↄ Iↄ cI. hora 9. mat.

QVVM IN MAGNO PHILOSOPHORVM AVDITORIO.

Tribus honeſtiſſimis, doctiſſimis, & ornatiſſimis adoleſcentibus ſummos in Philoſophia titulos, honores, & Philoſophici Magiſterij gradum publicè, ſolenniterq́ conferret.

Virtus laudata creſcit.

HEIDELBERGÆ

Apud Iohannem Lancellotum.

Anno M. D. CI.

Bayerische Staatsbibliothek München



